



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. V. De vero fortitudinis fine.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Circa quas igitur res terribiles versatur fortitudo?

Circa mortem, qua nihil terribilius, nihilque acerbius est.

In omnine genere mortis hæc virtus cernitur?

Nequaquam, sed tantum in pulcerrimo: qualis est ea mors quæ pro patriæ salute in bellis opperitur.

Quæ sunt extrema fortitudinis?

Audacia & timiditas seu ignavia: horum enim mediocritas est fortitudo.

CAP. V.

De vero fortitudinis fine.

Quis finis hujus fortitudinis?

Honestatis causa nulla non adire pericula: quo sensu Stoici etiam teste Cicerone eam definirunt virtutem propugnantem pro æquitate.

Ergo fortes non erunt, qui sibi ipsi mortem, vel obmopiam, vel amorem, vel molestiam consciscunt?

Minimè. Quoniam enim non honestatis, sed vitandi mali gratia, quod animo magno perferre nequeunt, sibi manus violentas inferunt, molles potius & timidi appellandi sunt, quàm fortes.

An vulgares etiam milites dicendi sunt fortes?

Non sunt. Nam pro exigua mercede vitam suam exponunt venalem: at vir fortis non nisi honestatis causa mortem subit.

*Fortitudine aliqua elucet in his qui ira aut dolore
impulsi pericula adveniunt?*

*Vide Cic. 3
Tuscul. de
proprietate
irati.*

Nequaquam. Quia si veré fortes essent, qui ira commoventur, vel alia perturbatione ducuntur, animantes quoque brutę fortes appellari possent: Sed consequens absurdum: Igitur & antecedens.

CAP. VI.

De Temperantia.

Quid definit Temperantiam?

*Vide 4 De
finib. item
3 Offic.*

Definitur ab Aristotele virtus in cibo & potu mediocritatem observans. Sed generalius definitur, virtus in actionibus animę concupiscentis educens: Actiones intellige nutritis & generantis facultatis: utpote in cibo, potu, Venere, & quę iis inserviunt.

*Quodnam igitur principale subjectum est
hujus virtutis?*

Voluptas sive cupiditas.

Circa omnesne voluptates versatur?

In voluptatibus maximé corporis cernitur, & iis quorum reliquę animantes sunt participes. Sed his addi etiam rerum externarum cupiditates commodé poterunt.

Plato in Charmide: Magnopere nobis cōducet, si temperátes essemus. Nam sine peccato viveremus, &c. Item: Qui hanc habet, quicquid aliud discet, facilius discet, & omnia ipsi evidentiora apparebunt. Cic. 4. De finibus, Temperantia est animi sanitas.